

C

C. l. 94

Alteyab. D. r. f.

or
H. 17

33

II 2 C. 35

~~2 N 35~~


PARAPHRASIS LYRICA
PROPHETIÆ IONÆ
A MI TH AE I E.

Autore

DANIELE SAXO
NE M. SCHOLÆ HAL-
BERSTADIENSIS
RECTORE.



WVITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni.
M. D. XC.



AD CANDIDVM
LECTOREM.



*Valibet Hebraei doceat quid linea Iona,
Personas hic Latia sacra Camæna chely.
Hos doctis modulos si viderit illa probari,
Argutum versus pollice stringet ebur:
Historiaq; typos varios, & mystica promer
Dogmata, Christi adum grata futura gregi.
Candide lector ades, tu carmina solus habeto:
Ore niger nigras Momus habebit aves.*





HALBERSTADIENSIS

REIPUBLICÆ CONSULI-
BUS ET SENATORIBUS, AM-
PLISSIMIS ET PRUDENTIS-
SIMIS VIRIS,

Nec non

ECCLESIAE PASTORI ET
SUPERINTENDENTI, REVE-
RENDO ET CLARISSIMO VIRO,
MARTINO MIRO, SACROSANCTÆ
THEOLOGIAE DO-
CTORI,

DOMINIS ET MÆCENATIBUS
SVIS REVERENTIAE ET OBSER-
VANTIAE STUDIO.

Hoc pœma

DEDICAT

DANIEL SAXO M.

A ij CLA.



CLARISSIMI VIRI DN.
IOHANNIS HELLERI, I. V. D.
in IONAM M. Danielis Saxonis,



DEVS aequalem mihi det cum Pallade mentem,
Iudicio & staret tunc tua Musa meo:
Dicerem in his metris tali te incedere socco,
Quo prisco incesit tempore nemo alius:
Sic etenim pingis Gath Hephheri Amithai da, non ut
Scribi ea, sed vere viuere scripta putem.
Castiget populum ut IONAS, mandata TONANTIS
Iamq; fugam vatis loppida moxq; doces.
Quemq; modo ponti scribis quem fulminis aestus
Causam, pistricis ventre vorace mori:
Eripis hunc subito his cunctis, monstroq; natanti,
Vivit, & Amithais te Ninivita docet.
Peccasse Assyrios iurata & vindicis ira
Quam benè commemoras pœnituisse DEVM.
Quam benè prisca novas, ac si redi viva loquantur,
Malo loqui, tantis quam minor ista sequi.
Addo modo hoc unum (liceat) moneoq; latino
Induere Hebraidas murice perge DEAS:
Id benè quod docteq; potes, si feceris, orbe
Christiadum Saxo nomine magnus eris.

PARA-

PARAPHRASIS
PROPHETIÆ IONÆ
AMITHAEI F. LYRICA.

C A P. I.

IONAM IEHOVA legat, is puppi fugam
Quærens, fretis motis in undas mittitur.

A Cerba sancti fata Viri canam,
Quem Cetus alto viscere condidit,
Tres atq; post soles hianti
Reddidit incolumem palato.

O navigantium sidus amabile,
Rerum Creator spiritus omnium,
En solvo funes, queso ventos
Classibus adde meis secundos:
Urbs stabat udi propter aquam Tigris,
Excelsa tangens nubila turribus,
Quam fecerat Nimrodus olim
Assyrij caput esse regni.

Et arx supinis condita rupibus
Surgebat, Indo fulgida marmore,
Rex unde subditis tremendus
Iura dabat rigidasq; leges.

A iij

Urbs

Vrbs ipsa pulchro nobilior situ
Amplisq; muris & numero virum,
Templis, foris, stratis viarum
Assyrrias superabat omnes.
At hisce quantum pulchrior extitit,
Tantum nefando crimine scedior:
Nam turpium plerumq; magna
Divitiæ scelerum ministra.
Haud ullus ardor numinis, aut metus
Nec ulla juris cura super fuit:
Per civitatem nulla virtus
Nulla fides, pudor aut honestas.
Astus, libido, luxuries, gula,
Furor regebat barbarus omnia:
Rex ipse se, regisq; cives
Flagitiis penitus dederunt.
Nemo timebat iudicium Dei,
Sed gloriantes nequitia sua
Nullum putabant esse numen,
Numen inane sed esse nomen.
Hæc cuncta torvo lumine Rex poli
Cernens ab alto vertice crimina,
Flagrante mox armatur ira,
Et scelerum parat ultionem.

Hostis

Hostis malorum nam Deus, & nefas
Per cuncta mundi climata vindicat:

Quicumq; peccat, stultus hostem
Martis ad arma vocat Tonantem.

Sed justus orbis nil facit Arbiter,
Nec saevus iras evomit in malos,
Suos priusquam per Prophetas
Exitium fuerit minatus.

Quod si vocati protinus audiant,
Pravasq; linquant nequitiae vias,
Tunc ira cedit, poena cedit:
Ira Dei brevior minuta.

Proinde IONAM Rex hominum vocat
Lumbis Amitha progenitum pij,
Fremente tunc & ore clari
Sic tonat ex adytis Olympi:

Exurge Vates ocys, & tuos
Ad civitatem fer Nineven pedes,
Qua tota nil est quam malorum
Colluvio, scelerumq; lerna.

Ingressus urbis claustra metu vacans
Clamore magno rumpe silentia,
Cunctas & imple mox plateas
Murmure, questibus, ejulatu.

Va

Vae stella mundi, vae Nineve tibi,
Repente culpam ni doleas tuam,
Ad vindicem conversa IOVAM,
Hei subitam dabis hei ruinam.

Vt namq; fumus surgit in aera,
Peccata caelum sic penetrant tua,
Et putido fetore magni
Ante thronum veniunt Tonantis.

Hac IOVA seruo iussa dabat suo,
Sicut ministros mittit adhuc suos,
Qui vineam colant Olympi:
Vae tibi qui metis haud vocatus.

Sed ecce IONAS, qui celeri gradu
Mandata tanti principis exequi
Debat, in scelix magistra
Iudicium rationis audit:

Hac inquit: albis tu nitidum comis
Caput periculo jam necis offeres,
Contra superbum verba Regem
Si facis, indomitasq; gentes.

O stulta sacris in placitis caro,
Stultusq; nugas qui sequitur tuas:
An non Deus suos vel ipso
A Satana valeat tueri.

Scit

Scit illa vates: sed fatuus putat
Præstare, terras si petat extimas,
Procul Deo proculq; rege,
Quàm capitis subeat periculum.

Ergo paternos præcipiti fuga
Agros relinquens per juga montium.
Reptabat huc, & huc, & illuc
Ut latebras miser inveniret.

Tandem sonoro finitimam mari
Ioppen citatis gressibus attigit:
Tutum putans se si recurvis
Per freta puppibus evolaret.

Res atq; voto cessit: in æquore
Syris onustam mercibus illico
Vidit ratem, cujus magister
Vincula solvere jam parabat.

Huic ille naulum porrigit, & cito
In curva navis rostra salit pede:
Et infimos querit recessus
Iamq; Deum putat haud videre.

Qualis sequentem Struthio cum fugit
Maurum, frutetis occulit & caput,
Totum putans corpus cruentis
A jaculis latitare tutum.

B

Ab

Ab sancte Vates quid facis? an Deo
Acuta nescis lumina vindici,
Citos pedes manusq; longas?
Cuncta videt, penetrat,prehendit.
Polum subintres, en aderit Deus,
Solum per agres, non aberit Deus,
Solum pererres est & illic:
Nil latet à facie I E H O V A E.
Is ergo I O N A E stultitiam videns,
Abesse ponto quod statuat Deum,
Ventos aquis immittit omnes,
Vndiq; navigium petentes.
Hinc Euris horrens, inde Favonius
Hinc Caurus illinc bella movet Notus,
Montes & advolvunt aquarum
Per freta non levius ruentes:
Quam si Typhœus sede sua gigas
Moveret Ossa, Pelion ac Athon,
Totosq; robustis lacertis
Volveret herbiferos per agros.
n Crepant soporis transtra fragoribus,
Abrupta malo carbasa decidunt,
Quassata navis nunc Olympum
Tangere nunc Erebum videtur.
Appa-

Apparet ipsa vel pice nigrior
Stridetq³ raucis æthra tonitrubus,
 Aguas simul pluens & ignes,
 Omnia perniciem minantur.
En quanta IOVÆ robor, quem tremit,
Quod mundus infra continet & supra:
 Miser cui Deus resistit,
 Cuncta creata simul resistunt.
Invadit omnes horribilis timor,
Demitq³ vires ac animos simul,
 Oblitus ipse Rector artis
 Quo voluit sinit ire navim.
Restare nullum consilium vident,
Præter sacratas ad superos preces:
 Cum cessat humanum, benigni
 Incipit auxilium IEHOVÆ,
Proinde mentes & tremulas manus
Suum levabat quilibet ad DEVM,
 Hic æquoris Deos adorat,
 Tyndaridas vocat ille fratres.
Sed surda cum sint numina gentium,
Audire sanctas ut nequeant preces,
 Nec ut velint juvare possint
 Vota rapit per inane ventus.
 B ij Mox

Mox tale querunt effugium necis,
(Nam cuncta tentat qui metuit mori)
 Vt multa navis instrumenta
 Projiciant maris in profundum.
Nam si levarent ponderibus ratem,
Minus putabant esse periculi,
 Sed acriter sævire pergunt
 Vnda, tonitrua, grando, venti.
Divina punit quando potentia,
Humana præstat nil sapientia:
 Quis est homo dic qui I E H O V A E?
 Consilium queat impedire.
Propheta verò nil metuit mali,
Sed membra molli stramine fuderat,
 Vtranq; dormiens in aurem
 Sertit enim scelus ante pœnam.
Securitatem nauta videns viri,
Adit, veterno suscitât & gravi:
 Heus somnolente, surge, surge:
 Heus vigila, remove soporem.
Nunquid fragores ætheris & maris,
Euriq; murmur stertere te sinunt:
 En fracta navis: ni resurgas,
 Iam rabidis eris esca monstris.
 Quin

Quin nunc ocellos erigis, & tuum
Levas ocellos pectoris ad DEVM,
Pœnamq; supplex deprecare,
Ne miserè pereamus omnes.
Nos quippe frustra multiplici prece
Aures DEORVM sollicitavimus,
Sed fortior conjuncta virtus,
Iuncta valent magis atq; vota.
Tunc ore lato spem simulans bonam
Conversus omnes ad socios ait,
Durate fratres jam supremus
IOVA malis dabit hisce finem
Adeste quæso, nomina singuli
Mittamus urnas ocys in sacras:
Sortitione constituta
Causa caputq; mali pateſcet.
Sunt namq; sortes in manibus Dei,
Et rebus aptè conveniunt suis.
Nunc ergo prima quem notabit,
Autor habebitur is malorum.
Et is furenti si dabitur mari,
Factiq; pœnas morte luet sui,
Vnde furor cessabit: omne
Cessat ubi sua causa cessat.
B iij Salubre.

Salubre cunctis consilium placet,
Mors namq; pallens ante pedes erat,
Hinc eligunt habere sortem
Quam gelidam tolerare mortem.
Traduntur urnæ signa, suo timens
Quicumq; tergo cogitat, ah DEVS
Cui prima fors est, prima mors est,
Effice nemibi prima cedat.
IONAS sinistro stat procul urceo,
Totusq; mentem membraq; contremit,
Frondes velut, quas huc & illuc
Aeolij movet aura venti.
Stertens sub imo pectore nam scelus
Vnà resurgens evigilaverat
Hinc ille terror atq; motus
Mens sibi conscia non quiescit.
Sed Rector urnam concutiens probe,
Sortem trahebat fatidicam manu,
Educta quæ IONAM notabat
Hei rabidi maris esse causam.
Sic nil tenebris tam benè conditur,
Seu sit malignum, seu facinus bonum,
Seu luce factum sive nocte:
Quin aliquando Deus revelet.
Hoc

Hoc tota sortis iudicio cohors
Gestit, prophetam farier & jubet,
 Hac unde sit Tonantis ira,
 Vnde Noti furor atq; Ponti.
Quo tendat? & qua venerit à plaga,
Quas jaëtet artes, unde genus trahat.
 Scire nec volunt priusquam,
 Rem penitus fateatur ipse.
Est grande crimen, grande piaculum
Non comprobatis si rationibus
 Viri necantur innocentes
 Ensis acumine, sive lingua.
Ut ergo vates in medio stetit,
Metu levavit deposito caput,
 Totumq; circumspexit agmen,
 Sic animosior ora solvens.
Cudetur in me jam socij faba,
Quod ergo res est fortiter eloquar,
 Hebraus excellens ab Hebro
 Duco simul genus atq; nomen.
Cultu potentem de veneror Iovam,
Super corusco qui residet polo,
 Et aureo sceptro refulgens
 Alta regit, regit & profunda.

Illius

Illius olim servus ego bonus
Oracla multos ad populos tuli:
At nunc eheu tanti rebellis
Servitium Domini reliqui.
Nam dura nuper jussa dabat mihi
Ferenda cives ad Niveves malos,
Verum recusans illa fugi
Ah miser, ah miser, has in cras.
Ut saepe contra fræna tenax equus,
Virum jubato tergore dejicit
Liberq; jam loris aperta
Præcipiti petit arva cursu.
Hæc verba mæstis cum faceret viris
Horrendus omnes corripuit timor.
Tantum Deum tremunt & ipsi,
Quem pelagus tremit atq; ventus:
Et cautiores postea redditi
I O N A E periculo semper eum colunt:
O si malos omnes pericla
Sic facerent aliena cautos.
Tunc unus audax præ reliquis ait:
Quis ergo demens te rapuit furor?
Tantum, quod implet universum,
Ut fugeres, male sane, numen.

Iam

Iam digna tanto premia crimine
Capesse, sortis quisq; faber sua:
Te perdis ipsum nosq; perdis,
Ni maris ira cito residat.
Quin ergo dicis quid fieri velis,
Vt jam remittant sevitiam freta,
Salvisq; nos tandem carinis
In patrias revehamur oras.
His ille forti talia pectore
Subjecit: adsum quem mare postulat,
Quin nunc adeste: meq; solum
Mittite precipitem sub undas:
Tum mox silescent murmura Iapygis,
Ponetq; sevas Oceanus minas,
Me propter irascuntur unum
Cuncta: Deus, polus, unda, venti.
Et sancta peccant corda, sed illico
Culpam fatentur, nec fugiunt crucem.
Humana sunt errare, labi,
Demonicum mala non fateri.
His ille mentes permovet omnium,
Vt esse dignum morte nefas putent,
Servum Dei, quamvis nocentem
Si tumidas jacerent in undas.

C Proinde

Proinde toto corporis acriter
Nisu propellunt remigiis ratem,
Omnesq; strenue laborant,
Ut virides redeant ad oras.
Labor sed omnis perditur, omnia
Adversa navem prorsus agunt retro:
Iratu obstat ipse IOVA,
Nil prohibente Deo secundum.
Ut ergo tandem nil reliquum spei,
Nullumq; cernunt effugii locum,
Tollunt suos ad astra vultus
Hasq; preces adhibent Tonanti.
Vides Hebraei jam populi Deus,
Quod hic salutis specula nulla sit:
En proa jam jam mersa phocis
Pabula nos faciet marinis.
Sed ecce IONAS ipse professus est
Se propter ortum per mare turbinem,
Quod fugerit tuos IEHOVA,
Puppe vias faciens, ocellos.
Quin corpus ut, nunc ipse jubet, suum
Spargamus altos in pelagi sinus,
Ut seuiens quiescat Eurus,
Et rabiem maris unda ponat.
Projectus

Sic quando flammis, ense, rota, cruce,
Tolluntur usquam de mediomali,
Tunc ira tollitur IEHOVAE,
Tollitur exitium bonorum.
Nam saepe lapsis mœnibus integræ
Urbes ob unum dispereunt malum:
Tantum Deus, natura, cœlum
Omnia sunt inimica noxis.
Hæc tanta cernens vecta cohors rate
Deos relinquunt protinus & Deas,
Quas prisca sinxerat vetustas,
Atq; Deum metuunt IEHOVAM.
Illiq; flavo thure litant, piis
Et grata labris carmina concinunt,
Quod post minas, ventos amicos,
Post pluvias dederitq; sudum.
Sic dum recusat visere mœnia
Propheta, Nimrod quæ posuit pater,
Convertit ecce navitarum
Inscius ad Dominum cateruam.
Nam sermo IOVAE non sine fructibus
Resurgit altas ætheris ad domos:
Vt absq; fructu verè primo
Nullus ab æthere stillat imber.

CAPVT

CAPVT II.

A Pisce IONAS haustus invocat DEVM,
In littus & Ceti gula refunditur.

Sed ecce mirum iudicium Dei,
Tractare sanctos ut soleat suos,
Damnus priusquam liberare,
Damna solet cumulare damnis.

Videt Prophetam fluctibus obrutum
Iam penè lethi cernere limina,
Nec porrigit manum, labantem
Gurgitis ut trahat ex abisso.

Quin majus affert supplicium viro,
Grandiq; pristim corpore pręparat,
Vt squalido rostro prehensum
In tumidam citò mergat alvum.

Vt piscis omni jam vacuus cibo
Tam lauta ventris pabula conspicit,
Exultat & tremente cauda
Marmore sub refluxente ludit.

Tum vasta pandit guttura cominus,
IONAMq; bolo devorat unico,
Et per gulam tardè volutum,
Visceribus madidis recondit.

C. iij O quanta

O quantā virtus quanta potentia
Dei, marina quem trepidant fera,
Repente dictis audientes,
Solus homo Domino rebellis.

Propheta parvo corpore turgidi
Patente ventris carcere delitet.

Vt Troglodites, cum sub amplo
Fornice clauditur, aut Acanthis.

Miratur arcus nunc stomachi cavos,
Dorsiq; longas & laterum trabes,
Nunc faucis anfractus opacos
Prospicit & camerata colla.

Feraq; motu pro vario miser
Sursum deorsum labitur in specu,
Vt quassa ventis dormientes
Prora viros jacet huc & illuc.

Ter Phœbus undis extulerat jubar,
Ter atq; cœlo sidera fulserant,
Dum piscis alvo detinetur
Sordibus implicitus profundis. u

Hunc ergo tandem relinquere carcerem
Et solis optans lumina cernere,
De ventre piscis sempiternum
Talibus alloquitur I E H O V A M.

Sævis

Sævis malorum fructibus obrutus
Fudi I E H O V A E cum gemitu preces;
Intentus aures is benignas
Tristibus applicuit querelis.
Cacis Averni sub latebris jacens,
Cordis precabar de penetralibus,
Audiuit & Deus vocantem
De piceis barathri cœvernīs.
Projectus à te marmoris in sinum
Volvebar imi sub vada gurgitis,
Totus meum campis aquarum
Oceanus caput obruebat.
Tum cogitabat mens mea languida,
Vultu removit te Deus à suo,
Nec ulla liberationis
Spes superat tibi nec salutis:
Quin nec Sionis templa revisere
Licebit auro splendida nobili,
Pingues ubi fragrant acerra,
Statq; sacri sacra cista pacti.
Nam mens aquarum pressa voragine
Nigras adibat mersa ferè domos,
Fundo maris crescens in imo
Alga meum caput implicabat.

Pontii

Ponti Charybdim lapsus ad infimam
Profunda vidi semina montium,
Apparet oppilata firmis
Perpetuò mihi terra claustris.
Tandem corusco despiciens polo
I E H O V A nigrum gurgitis in specum,
Me sospitem potens ad auras
Fluctibus è mediis reduxit.
Mens plena mæsto cum tremere metu,
Et membra robur deficeret meum,
Mitis recordabar I E H O V A E,
Tum bona me cito spes alebat.
Et mox levabam splendida lucidi
Ad templa cæli, cor, oculos, manus,
Vox integrans gravis querelas
Ad Domini veniebat aures.
Hinc ille votis annuit & mihi
Vitalis aura lumina reddidit.
Nec interibo, sed redemptus
Nomen ad astra feram Tonantis.
At omnis expers impietas Dei,
Quæ vana mendax somnia diligit,
Adversa quando sors fatigat,
Deficiens Dominum relinquit.
Rerum

Rerum potenti non ego turturum
Cruore, voto sed faciam pio,
Et reddita grates salute
Vox mea leta Deo sonabit.
Nam quantus omnis quantus homuncio,
Est præda mortis, mancipium stygis,
Solus perennis dona vitæ
Solus habet Dominus salutem.
Sed unde IONAS hanc sapientiam
Adeptus? undis hausit ab infimis:
Prudentiam largitur unda,
Unda viros facit esse sanctos.
Nec unda ponti, sed crucis æquora,
Quibus renati perpetuò natant,
Sanctos ciet crux sancta motus,
Atq; Deo profugos reducit.
His ergo IONAS questibus intima
Fregit benigni viscera numinis:
Sunt machinæ preces & arma
Quæ Dominum faciunt inermem.
Is iussa monstro terribili dabat,
Ut devoratum gutture redderet,
Patente corpus, atq; saluum
Littore sub viridi locaret.
D Quod

*Quod conditori morigerum suo
Mox sulcat undas pectoris impetu,
Ceu prora findit equor rostro
Fortibus acta virum lacertis.
Et jam volutum littus ad herbidum,
Distendit antrum gutturis horridum,
Eructat & collo madentem,
Caesarie sub humum Prophetam.
Ceu parvus alis Trochilus humidis
Post devoratas faucis hirudines,
Hiantis, evolat sub auras
Sæve, tuo, Crocodile, collo:
Sic ecce tandem Rex hominum pius
Post visa cæci marmoris infima,
Ad aetheris lumen reportat,
Mergit aqua crucis, & reducit,
Fortuna si quem fluctibus obruit
Et ceu malorum viscere comprimit,
Durato fortis, & memento
Post tenebras jubar exoriri.*

CAPVT III.

TAndem NINO IONAS ruinam nunciat,
Poenis sed illa poenitens absolvitur.

In

IN orbe nulli certa fides viro,
Homo sed omni tempore fluctuans
In singulas mutatur horas
Vera modo, modo falsa dicit.
At talis haud est conditor aetheris
Sed sempiternum polliciti tenax
Ratum facit quodcumq; dicit,
Consilium neque mutat unquam.

Hic ergo **I**ONAM sole sub aureo
Siccare longas conspiciens comas
Suasq; tristi mente clades
Et varios reputare casus,
Repente caeli culmina deprimens
Totum corusco lumine circuit
Ruptisq; nubibus priora
Sic iterans tonat ore iussa:
Exurge tandem, si sapis, & cito
Ascende magnam nunc Nineven gradu
Quae tota volvitur nefando
Crimine, sicut olens luto sus.
Totumq; complens planctibus oppidum,
Oracla pravis pandito civibus,
Quae scilicet pronuncianti
Nostra tua dabit aura linguae.

D ij Vix

Vix IOV A tales finierat sonos,
Cum prima vates post mala cautior.
 Repente surgit nuncupatam,
 Curriculo properans ad urbem.
Qualis recurvos, in quibus haeserat,
Columbus, unguis accipitris timens
 Post territus stridore penna
 Vel minimam fugitat volucrem.
Canum securi vel laqueo caput
Cervice mavult protinus eripi,
 Quam jussa posthabere IOVÆ,
 Ictus ab angue sapit colonus.
Proinde cursu precipitans viam
Tandem Syrorum jugera contigit,
 Et inde magno cum stupore
 Magnificam speculatus urbem.
Nunc arduarum culmina turrium
Nunc urbis amplum suspicit ambitum,
 Nam nemo circumibat ante,
 Quam ter abiret ab axe phœbus.
At nec superbas marmore januas,
Nec magna curans agmina civium
 Portas subintrat & per ampla
 Compita cursitat hac & illac.
Lassoq;

Lassoq³ partem jam pede tertiam,
Emensus urbis constitit in foro:
Altaq³ diffusas per auras
Horrida ceu tuba voce clamat:
Vae stella mundi vae Nineve tibi
Repente culpam ni doleas tuam
Ad vindicem conversa IOVAM,
Hei subitam dabis hei ruinam.
Ut namq³ fumus surgit in aera,
Peccata caelum sic penetrant tua,
Et putido foetore magni
Ante thronum veniunt Tonantis.
At hic odores ferre nequit malos,
Nam pura mens est puraq³ flagitat
Virtutis olfactare thura,
Spurcitiem scelerum repellit.
Nunc ergo postquam Sol decies quater
Curram rubenti tinxerit equore,
Hei funditus peribis, hei hei
Fulmine tacta rues ad orcum.
Sic ille scissis exululans comis
Excurrit omnes urbis in angulos.
Et clamat hic & hic & illic:
Vae tibi vae Nineve, peribis.
D iij Omagne,

O magne vates siccinè barbaris
Audes ruinam pandere gentibus
Nec regis extimescis iram,
Nec populi metuis furores
Divina fortes vis animos parat
Qui jussa sancti dum peragunt Dei,
Non respiciunt vel mille mortes
Ferre rota, gladio, vel igni.

O tanta servis, ô utinam Dei
Esset per orbem nunc animositas,
Dum labitur mundus gehenna
Per caput atq; pedes in antrum.

Pleriq; sed jam sunt taciti canes
Frenata quorum rostra niger stygis
Venator, ut latrare cessent,
Aureolis religat capistris.

Et sunt obesis corporibus canes
(Non Musa fingit sed queritur Deus)
Qui nec cibo nec are possunt
Multivolos saturare ventres.

Nec dente mordent, aut abigunt lupos,
Sed dormientes perpetuò, gregem
In montibus sinunt vagari,
Atq; feris fieri rapinam.

Indigna

Esa. 56.

Indigna gestant nomina, rectius
Bacchi ministros & Veneris voces:
Potant, amant, ventres saginant,
Hoc opus hic labor usq; & usq;
Sed ecce IONAS non ita mutus est,
Is ampla pandens guttura, nobilem
Exclamat horrendum per urbem:
Ah dolor ah Ninos interibit.

Hoc ejulatu territa civitas,
Hinc inde densis agminibus ruit
Passimq; circumfusa tanti
Ora viri cupit intueri.
Vt cum cadauer forte vident agris
Corvi, frequentes undiq; convolant,
Exercitu planè tegentes
Frugiferos crocitate campos.

At ille ceptos ingeminans modos,
Cunctis pavorem mentibus incutit,
Cives repentinam perhorrent
Attoniti Nineves ruinam
Ratumq; credunt augurium viri,
Ipsaq; dictum voce putant Dei
Quisquis fidem negat ministro,
Ille negat Domino ministri,

Sed

Sed pervicaces, audierant, Deum,
At pœnitentem perdere neminem,
Et bullula fugaciorem,
Numinis esse sciunt furorem.
Hunc ergò votis ut citò leniant,
Vertens & omnes in melius minas
Parcat I E H O V A civitati,
Lenibus aspiciens ocellis:
Repente matres, atq; mares fame
Totam per urbem viscera macerant,
Nec porrigunt micam juventa,
Voce gemente cibos petenti.
Senes tiaras deripiunt comis,
Longasq; ponunt corporibus stolas,
Et obsiti centone vili
Tempora pulvere cana fœdant.
Vultus puella sordibus inquinant
Vel puriores Sithonia nive:
Coralis certante rubris
Ore soli feriunt arenas.
Quos antè fulgens purpura vestijt,
Tegunt lutosis membra lacinijs,
Quos antè vina recreabant
Iam labium prohibent ab undis.
Misella

Misella pubes facta patrum sequens
Fletu rigabat ceu pluvia genas,

Vt vix suis se continerent

In speculis oculi tumentes.

Urbs tota mæstis obruta planctibus

Latè remugit per juga collium:

Sicut lupi noctu silentes

Voce replent ululante sylvas.

Rex ipse celso conspicuus throno

Aurata forti sceptrâ tenens manu,

Ius subditis dicebat, addens

Dona probis reprobisq; pœnas.

Is cùm repentem perciperet sua

Urbs ruinam, perniciem, necem,

Ingente turbatus timore

De solio rutilante surgit:

Et ecce vestes divite squallidas

Auro torosis detrahit artibus,

Et crinibus demit refulgens

Splendidulis diadema gemmis:

Turpiq; sacco mox operit caput,

Et totus atro pulvere volvitur,

Sacrasq; procumbens ad aras

Flagitij veniam precatur.

E

En

En quanta vivus sermo queat Dei,
Mucrone stricto cor penetrans magis,
Carnem necat sensumq³ carnis,
Atq³ novos homines refingit.
At pœnitendi non modo Rex studet
Exempla pravis ponere subditis:
(In Principem cives, locatam
In statuam velut, intuentur.)
Severa sed dat jussa satelliti:
I serve totum curre per oppidum,
Et regis edictum per omnes
Vociferare palam plateas:
Rex magnus omni precipit incola
Ut ne quis ullos dente premat cibos,
Sed arceat manus & ora
A Cereris Bromijq³ donis.
Quin nec juvencos vel parvidas oves
In leta mittat pascua vel capras,
Nec cum siti fauces anhelant
Ad puteos neq³ stagna pellat.
Sed quisq³ corpus discruciet fame
Mentemq³ votis reddat idoneam,
Ceu tardus ad lyras asellus
Ad sacra prodigus est ineptus.
Omnes

Omnes superbum ponite muricem,
Et sordidatas sumite penulas
 Sacci tegant & ipsa bruta:
 Propter heros Deus odit hoedos.
Tristem favillis spargite verticem,
Versate fædo corpora pulvere,
 Ultore nam coram I E H O V A
 Impius est cinis atq; pulvis.
Plorate multum plangite, plangite,
Cum mente palmas atheris ad domos
 Levate rite deprecantes
 Terribilem Nineves ruinam.
Nos hei scelesti, nos sumus mali
Nos ante vultum culpa sumus tuum:
 Cælum tuas I E H O V A sedes
 Heu pudet & piget intueri.
Sed major omni gratia crimine
Omnes & actus exuperans tuos,
 Sperare nos jubet salutem
 Et scelerum veniam rogare.
Ah parce natis parce pater tuis,
Averte nostro supplicium lare,
 Post orbitam legis sequentes,
 Nomen ad astra tuum feremus.

E ij Hic

Hic quando surget clamor ad aethera,
Dei furorem protinus auferet,
Quem nulla vis nec arma vincunt,
Sola valent superare vota.

Tum pœnitebit supplicij Deum,
Quo nostra duxit perdere mœnia:
Cum pravus ad Deum revertit,
Ira perit, perit atq; pœna.

Hac ille Regis jussa per omnia
Vagatus urbis compita protulit:
Quæ civitas ultrò capessens
Omnia cœu voluit peregit.

Fas est tremendis Regibus obsequi,
Si cum IEHOVA civibus imperent:
Quod si jubent contra IEHOVAM,
Rex anima magis est timendus.

Hic ergo postquam vidit ab aethere
Cum rege tristes, plangere subditos,
Et audiit suis misellè
Cum pueris ululare matres.

Turbantur illi pectoris intima
Subitq; mentem commiseratio,
Ira gravis recedit astus,
Et patrij redeunt amores.

Nati

Nati parentem ceus miseret sui,
Iniquitatis cum veniam petit:

Sic pœnitens coram TONANTI
Impius haud patitur repulsam.
Sic parcat urbi, parcat & incolis,
Et stare muros longius efficit:

Mores scelesti quando mutant,
Mutat & ipse IEHOVA mores.

CAPVT IV.

A Egrè ferens IONAS DEI clementiam
Convincitur repente per cucurbitam.

Sicut perennes sunt hominum vices,
Nascuntur illi rursus & occidunt,
Sic mœnibus nascuntur altis
Rursus & emoriuntur urbes.

Vbi vetusti Pergama Dardani?
Vbi Corinthus? dic Babylon ubi?
Tarsus, Tyrus, Carthago, Thebae?
In cineres abiire cunctæ.

Sic imminebant, funera jam Nino,
Quæ multa prævè secula vixerat;
Sed lacrimis IEHOVA victus
Vivere longius hanc sinhat.

E iij Hunc

Hunc ergo IONAS cum videt impiis
Prædicta muris fata retexere,
Livore plenus & furore
Hac facit ore tumente verba:
Eulgente princeps altior æthere
Sic ergo verbi sic eris immemor,
Sic, quem per urbem fulminavi,
Pondere sermo carebit omni?
Hac ipsa nostra causa fuit fuga,
Quando paternos desererem lares,
Tuos & evitare vultus
Præpete navigio studerem.
Probè sciebam quod tua latius,
Quàm terra cæli distat ab orbibus,
Paterna lenitas redundet,
Æqua simul bonis & malignis.
Cito calescens ira perit cito:
Servare cunctos perdere neminem
Mens est: malos magis Olympi
Ire sub atria, quàm perire.
Haud ergo quisquam tam miser omnium,
Quos Sol tuetur primus & ultimus:
Eheu planus vanusq; cunctis
In populis ero circulator.

Ah

Ab queso tristem corpore liberans
Mentem beatis insere manibus:

Dum talis est heu vita, vitam
Reddere quam retinere praestat.

Quo mire IONA quo ruis? an miser
In jus vocabis justiciæ Deum?

Sic vilis obgannire pulvis
Audeat aethereo parenti?

Purgare turpis flagitium fugæ
Non erubescis, nec pudet integra

Urbi tuam præferre famam,
Visq; mori cito te vel illam

IONA Scolumbam levigenis sonat,
Cui parva fellis tradita portio,

Hinc blanda, mitis atq; simplex:
Vnde sed est tibi tantabilis?

Sic saepe sancti post sacra balnea
Fædo volutant se scelerum luto,

Ceu lota sus querit paludem,
Et canis ad vomitum recurrit.

At murmurantem desuper audiens
Deus prophetam leniter increpat:

Quidnam fremis? quid intumesces?
Num tibi justa videtur ira?

O quam

O quàm benignus quàm placidus pater,
Qui ferre tantam stultitiam potest.
Mirum, repente quin repulsum
Fulmine contuderit trisulco.

Æquale si quis labitur in scelus,
Ut conditorem murmuret in Deum
Argilla sicut in magistrum,
Credat adhuc facilem I E H O V A M.

At ille semper pectore livido
Exspectat alta perniciem Nini,
Et ne ruinis opprimatur
Egreditur bipatente porta:

9
13
Montisq; scandit culmina proximi
Sol unde tollens Oceano caput,
Urbs atq; planis structa campis
Propter aquam, poterat videri.

Et cum corusco Cynthius essedo
Invectus ipsi membra perureret,
Mox cespitem quarens acuto
Gramineam fodit ungue terram.

Tum fessa tendens brachia de nigra
Frangebat udos ilice ramulos,
Adversus & solis calores
Parva mapalia construebat.

Ibiq;

Ibiq₃ molli cespite confidet
Ninumq₃ versus lumina dirigit,
Paratus urbis intueri
Tecta gravi ruitura casu.
Sed IOVA, cuius tota potentiam
Natura mundi cardine contremittit,
Cucurbitam juxta Propheta
Ædicolas facit exilire.
Que mox ab imis stirpibus exiens
Latis in auras se folijs levat,
Et pendula frondosa tandem
Exuperat tegumenta scenæ.
Et huc & illuc brachia dissipans
Totam tabernam frondibus obtegit,
IO N AEQ₃ sic refrigerantem
Solis in igne ministrat umbram.
Is ergo letus germine nobili
Deponit omnes corde molestias,
Ut gaudet æstuans viator,
Frigidas ubi captat auras.
At sicut hujus gaudia seculi
Sunt fluxa multis mistaq₃ lacrimis,
Et post brevem plerunq₃ longi
Leticiam veniunt dolores:

F

Sic

Sic ille paucas letus ad horulas
Frondeus umbra perfruitur casa,
Nam cum fretis Eos rediret,
Aureolis radians capillis:
Nigrum paravit vermiculum Deus,
Qui se tenellis implicuit fibris,
Duroq; rodens dente scædum
Morsibus inseruit venenum.
Quæ sæva rostri vulnera sentiens
Mox arefactis emoritur comis,
Frondesq; Cynthij perustas
Iam radiis in humum reclinat.
Ceu matris alvo qui modo prodiit,
Infans obesis luxuriat toris,
Ridet, jocatur atq; chara
Gaudia multa movet parenti.
Mox ictus atro dente necis, caput
Demittit agrum: pinguidula cadunt
Buccellula: color, vigorq;
Ipseq; spiritulus recedit.
Sed Phœbus ut jam flammiferum jubar
Terris & alto reddiderat polo,
Rerum creator ex Eo
Terribilem vocat orbe ventum.
Qui

Qui conditoris jussibus audiens
Repentè magno pro impetu, ^{vult}
Umbraculumq; vatis omne
Aëreas rapuit per auras.
Mox ustulantes Sol radios viri
Rectà nivosum proijcit in caput,
Et torrida facis vel ipsum
Cor penetrante fatigat aestu.
Tunc ille deflens fata cucurbitæ
Exusta magnis membra caloribus
Humi volutat, & priores
Impatiens iterat querelas:
O Iovæ tristem corpore liberans
Mentem beatis insere manibus:
Dum talis estheu vita, vitam
Reddere quàm retinere prestat.
Tum Rector orbis quo temeraria
Delira lingua somnia diluat,
IONA Mq; falsò judicantem
Iam proprio gladio trucidet:
Quid, inquit, ira concitus evomis?
Quid dente frendes? num meritò doles?
Quod frondibus nunc arefactis
Mollis humi jacet Cicajon. a
F ij At

At ille: quid ni condoleam miser?
Dum laesa marcet verme cucurbita:
 Qua tam venustis pullulabat
 Caulibus aethereas ad auras.
Quin ipse flagro nunc etiam mori,
Tantisq; finem ponere casibus
 Nam tot malis oppressus orbem
 Linquere quam superesse malo.
Hoc fulmen alti Rex sapiens poli,
Imum retorquens in jugulum viri,
 Quid ergo, dicit, impudente
 Obloqueris labio I E H O V A E?
Si namq; vilis te movet herbula,
Nec culta cura qua studio tua,
 Nec aucta, sed surgebat una
 Nocte simulq; cadebat una.
Annon & ingens me moveat Ninos
Tot parvulorum millia continens;
 Qui nesciunt dijudicare
 Dextera qua manus, aut sinistra:
Soluta quorum corculacrimine
Vel sola bilem diminuunt meam,
 Nam nemini possunt nec audent
 Vel pede vel manibus nocere.

Sed

Sed vel tenellis stertere cunulis
Solent, & altum ducere somnulum,
Vel ore circum nuda matrum
Molliter ubera lufitare.
Vel exprimentes verbula blasulis
Blandum labellis ingeminant tata:
Aut parvulas habere pupas,
Aut salices equitare gaudent.
At quot per urbem sunt animalia,
Quorum favorem simplicitas meret,
Qua nec suis unquam laceffunt
Criminibus Domini furorem.
O magnus ardor magnaq; charitas
In pufionum molliculum gregem:
O iufta mens vel innocentes
Perdere qua' pecudes veretur.
Quid ergo IONA iudicium Dei
Audes protervis carpere dentibus?
Furoris arma tineta felle
Melleq; tineta gerit favoris.
Cunctis & offert laticiam poli,
Quod fi vocati non veniunt mali
Sevas vibrans arcus sagittas
Deijcit ad Phlegetontis undas
Sin

*Sin pœnitentes à scelerum viis
Tandem remigrant legis in orbitam,
Hos obviis acceptat ulnis
Æthereasq; refert ad oras.
O juste vindex ô facilis pater,
Iacente prima stat Ninus altera
Germana nempe terra, prima
Par vitijs, pietate dispar.
Passim Propheta vociferant tui,
Et imminentes undiq; nunciant
Pœnas graves, graves ruinas:
Sed nihil illa videt, nec audit.
Converte dulcem tu patriam Deus,
Conversa sacris laudibus, ut tuum
Nomen colat colatq; numen
Tuta minis simul & ruinis.*





154886

AB 154886

ULB Halle


3

003 009 254



fu







PARAPHRASIS LYRICA
PROPHETIÆ IONÆ
A MITHAEI F.

Autore

DANIELE SAXO
NE M. SCHOLÆ HAL
BERSTADIENSIS
RECTORE.



WITEBERGÆ,
Typis Zachariæ Lehmanni.
M. D. XC.